

6270

DISPUTATIO  
JURIS CIVILIS ORDINARIA S.  
DE  
**LEGIBUS ET  
STATU HOMINUM,**

QUAM  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA HASSO-  
SCHAUMBURGICA,  
IN AUDITORIO JCTORUM,  
Ad diem 5. Februar. MDCXCVIII.


*Publico Eruditorum examini submitunt;*

PRÆSES  
**HENR. ERN. KESTNER,**

D. & Prof. Jur. Ordin.

ET RESP.

**FRANCISCUS ERNESTUS VOGT,**  
Bückerburgo-Schaumburgicus.



RINTHELII,  
TYDIS HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.  
Anno M DC XCVIII.

iss. jur. civ.

320, 16

7. 20.



## §. XV:

*Lex ejusq;  
objectum.*

**L**ex est commune præceptum summæ potestatis omnes, ei subjectos, ipsorum bono ad parendum obstringens. *Huber. digress. lib. 1. ff. t. 3. §. 1. De Possibilibus, de futuris, quin de præteritis, si lex declaratoria in negotiis pendentibus ad præterita extensa sit, licitè legem ferri docet l. 7. C. de LL. Nov. 133. in fin. l. 17. C. de Usur.* Ne verò leges excrescant, casus sæpè accedentes lege mandantur, Obligatio verò legis ad scientiam post duos menses à promulgatione obligat, neque fas erat ignorantiam heic prætere, cùm prudentiores consuli poterant *l. 9. C. de LL. conf. Nov. 66. c. 1.* Leges verò in conscientia, quippe quæ Magistratui obediendum esse indicat, obligare, monet Apostolus *ad Rom 13.* Ad pœnam obligatio est, si hæc adjecta sit. Lex omnis clara, perspicua, æqua & rationalis esse debet; Quantum verò ad æquitatem legis attinet, duplex propriè æquitas est (1.) Ratio mitigans rigorem juris; & hæc scripta esse potest, uti ex Edictis Prætorum constat *l. 1. C. d. LL. l. 85. in fin. d. R. I.* (2.) Ratio supplens, quod vel in lege deficit, vel dubium est, atqui hæc non scripta est. *l. 14. ff. d. divers. præscript. l. 26. de Cond. & demonstr. l. 8. C. de Judic. l. 2. §. 1. d. aqu. & aqu. plu. arcend.* Legis virtus & efficacia exponitur *in l. 7. ff. d. LL.*

*Non expedit mutari legem.*

§. XVI. Ne Legis authoritas evilescat, non facile mutetur, cùm mutatio periculosa, publicoque nociva sit. *l. 2. ff. de Const. Princ.* Mutatur autem utilitate Reipublicæ id exigente, abrogatur lege contraria, nisi posterior generalis, prior verò specialis fuerit, tollitur quoque, si causa finalis in totum cesset, si terminus legis elapsus, si contrarium diu observatum.

*Requisita consuetudinis.*

§. XVII. Ad jus non scriptum seu Consuetudinem introducendam requiritur I. Actuum frequentia, contrario actu non interrupta, nisi unus actus tam manifestus apertusque sit, ut de aperta legislatoris mente constet. *Conf. Cic. in Orat.*



*Orat. ad Catilin.* 1. 2. Diuturnitas temporis, interdum brevioris, interdum pro arbitrio Judicis longioris. In genere actus hi sint uniformes, rationales, non violenti, non erronei. In populari statu simpliciter legem tollit. *l. 32. §. 1. ff. de LL.* In reliquis, si vel lex dubia est, *l. 37. l. 38. ff. de LL.* vel de juribus privatis civium agitur, de quibus lex scripta non est *l. 35. ff. eod.* vel si accedat summi Principis consensus, legem interpretatur. Cùm vero consuetudo sit facti, singuli ejus actus articulandi probandique sunt: Sufficit autem si vel semel secundum istam consuetudinem pronunciatum, idque probatum fuerit, vel quando res aliqua perpetuo similiter judicata *l. 38. d. LL.* vel per se notoria sit, ubi notorietas probanda, unius vero Doctoris testimonium non probat, sufficiunt duo testes imprimis senes *Mascard. de Probat. v. 1. c. 31.* Quæ vero Divino naturalique juri contrariatur consuetudo nunquam tenet.

§. XVIII. Constitutio Principis est, quicquid Principi placuit, ut Legis vigorem habeat *l. 1. pr. h. t.* Ejus partes sunt, *Edictum*, quando Princeps proprio motu quid jubet *l. 3. C. de LL. Decretum*, quo inter partes causâ cognitâ decernit *l. 3. d. his quæ in Testam. Rescriptum* seu Epistola, quo de jure consultus respondet. Annotationes, quæ ad relationem privati, Pragmaticæ sanctiones quæ ad instantiam collegii publici emissæ, *l. fin. C. de Divers. Rescript.* Constitutio deinceps est vel generalis, quæ omnes, nisi quidam exempti sint, tenet, vel specialis, quæ in certam tantum personam, ordinem vel rem fit, & cùm privos i. e. singulos tenet, Privilegium dicitur. Famossissima Privilegii divisio est, quâ aliud favorabile, aliud odiosum seu in pœnam dicitur, §. 6. *I. d. I. N. & G.* porro est vel Reale, quod intuitu causæ vel rei statutum est, & ad heredes pertinet, vel Personale, quod intuitu solius Personæ, ejusque limites non egreditur *l. 68. & 196. d. R. I.* Quòd verò ad alias quoque personas privilegium personale extendatur, quod DD. *ex l. 6. C. de Profess. & Med.* deducunt,

*Constitutio  
Principis,*

B 2

ejus



ejus ratio est, quòd plura hæc, quæ singulas personas afficiunt, privilegia sint. Ad personalia privilegia beneficia Competentiæ & Dotis, Pupillorum, Minorum, DDrum, Nobilium, Studiosorum referuntur. Quantum vero ad beneficia restitutionum & Scti Vellejani, cum in iis non tantum personarum, sed etiam bonorum & læsionis inde factæ ratio habeatur, rectius fortè hæc ad privilegia realia quàm personalia referentur, approbante id *l. 7. § 1. de Except. l. 20. C. d. Sct Vellej.* frustra dissentiente *Lauterb. p. 10.* In confesso igitur est, reale privilegium ad omnes, ad quos res & causa, ad quosvis successores imò particulares & fidejussores pertinere, si de voluntate superioris constet: tale in dubio præsumitur, nisi personam beneficio causam dedisse appareat, ex intentione igitur concedentis hoc utrobivis metiendum erit.


*Effectus  
Privilegio-  
rum.*

§. XIX. Qui leges dat, privilegia dat, quæ ratione concedentis, secundum communem sententiam, latissimè, quoad tertium, strictissimè interpretanda *l. 3. ff de const. princ. l. 2. §. 10. & 16. Nequid in loco publ.* Principis voluntas tamen non excedatur *l. 35. pr. d. inoff. Testam.* Privilegiatum contra æque privilegiatum non uti privilegio suo, extra dubium est, nisi alterum privilegium 1. potentius sit, quale est ætatis, ut adeo fœmina & Minore concurrentibus, hic illi præferendus sit *l. 11. § fin. ff. d. Min.* 2. Fallit hæc regula, si uterque contra privilegium læderetur, quod fieret, quando alter de damno vitando, alter de lucro captando certaret *conf. l. 8. d. Excus. Tut.*

*Quo modo  
exspirent  
privilegia.*

§. XX. Privilegia ex revocatione concedentis, si ex mera gratia fluxerint, tolluntur: tum enim instar precarij sunt, quod quodocunque revocari potest, *conf. l. 100. & 102. d. R. I.* Conventionalia & remuneratoria revocationi non esse obnoxia docet *Klock. de contrib. c. 16. n. 102.* Tolluntur, subjecto eorum, quibus inhærebant, sublato, quod variis modis, chasmate, destructione hostili, fieri potest. *l. 73. de contrah. emt.* Tolluntur, finitâ personarum qualitate propter quam indulta v. g. pupillorum, Minorum si majores fiant, de-

de-



deinde elapso, quod privilegio adjectum erat, tempore. Renunciatio, tum tacita, tum expressa *l. pen. C. d. pact.* Abusu & non usu *l. 1. ff. d. Nund.* Non concedentis morte, utilis tamen est in securitatem majorem confirmatio successoris.

§. XXI. Leges Universales in Imperio fert Imperator cum consensu Statuum *Art. 9. §. 2. Pac. Osnabr.* vocantur *Reichs Abschiede.* Particulares, secundum quas & ipsa quoque Camera judicat, quilibet status in suo territorio. Civitates provinciales, concessa ipsis jurisdictione, statuta ad hanc pertinentia condunt, quaedam ex immemoriali praescriptione nullam egent confirmatione, tutius a. hanc semper adhiberi: Ipsa vero opificum mercatorumque collegia statuta juri communi non contraria condunt *l. fin. ff. de Colleg.* hodie Princeps ea confirmat *Ord. Cam. p. 1. r. 13 §. 1. & tit. 57. pr.* Edicta Praetorum à jure Civili formam differunt, hodieque adhuc praetoriae actiones annuae sunt, *l. 35. ff. de O. & A.* auctoritatem juris plenam, responsa prudentum probabilem tantum habent, nisi nomine judicis petita & concepta fuerint. Usus circa responsa hodiernum bene exponit *Engelbrecht. ad ff. l. 1. t. 3. §. 18.*

*Modus hodiernus leges condendi.*

§. XXII. Ut prudenter jus applicetur 1. facti species secundum omnes circumstantias diligenter perscrutanda, deinde legis interpretandae & applicandae 1. verba 2. Mens & 3. ratio. Interpretatio autentica à Principe, Extensiva à DD. fieri solet *conf Vinn. select. jur. qu. l. 1. c. 2. Bacon. de Verulamio tr. de dign. & augm. scient. l. 8. c. 3. rubr. de font. jur. aphor. 11.* Restrictiva 1. in jure singulari *l. 14. 15. 16. de LL.* 2 In legibus Correctoriis, cessante sc. ratione inductiva tenet. *Castrens. in l. quamvis C. de fideicom. Vasq. l. 1. de Test. §. 8. n. 8.* Semper tamen interpretatio non ex una legis particula, sed tota lege perspecta fieri debet. *l. 24. ff. de LL.* Argumentum ab auctoritate Jectorum praesertim plurium consentientium ductum, probabilitatem, non jus inducit. *conf. Ricc. de libr. jur. quant. & qual. aph. 87.* Casus pro amico in jure exulent. *Schoran. disp. 1. th. 7.*

*Applicatio Juris.*

§. XXIII.



*Objectum  
Juris.*

§. XXIII. Jus omne competit personis in Res per Actiones, in hoc totus juris tractatus consumitur. Status hominum est conditio quæ necessario requiritur in omnibus personis, quæ jurium civilium capaces sunt in genere, neque status heic est, qui adesse vel abesse potest, sed qui necessario inest iis qui jure civili utuntur, atque is triplex est, libertatis, civitatis, familiæ. Libertas definitur in §. 1. *I de jur. Pers.* coincidit hæc egregiè cum descriptione juris permissivi. Servitus est privatio libertatis. Inter Christianos sublata est servit<sup>9</sup>, non tamen est contra jus Nat. Cum servis aliqualem cognationem habent homines proprii, Wildfangii, Cossati, in effectu liberi sunt, quæ libertas tamen variis oneribus conditionibusq; circumscripta, de quo *Husanus & Stamlerus* passim. A jure civitatis excludebantur Peregrini, quod hodie non observatur, nisi in talionem contra ea loca fiat, ubi jus Albinagii tenet.

*Prima ho-  
minum di-  
visio in ma-  
sculos &  
fœminas.*

*Secunda  
divisio.*

§. XXIV. Ratione familiæ sunt vel Masculi vel Fœminæ, illi potiores in his quæ tribuuntur sexus præstantiæ, hæ in iis quæ sexus infirmitati, aut ob partum *l. 2. de R. I. l. f. ff. de fid. instrum. l. 45. ff. de legat. 2.* In plerisque æqualis conditionis sunt. Hermaphroditus sexui prævalenti annumeratur *l. 10. de stat. hom.* In dubio ipse electionem non habet, jura enim sexus arbitrii privati non sunt, sed Legis. *dissent. Lauterb. p. 13.* Usus quæstionis est in feudis. Non dari Hermaphroditos ex Dn. Medicis statuit *Casp Bauhin. de Hermaph. monst. partuum natura.* Præterea homines vel nati sunt vel nascituri, nascuntur a. vel ex legitimo vel ex illegitimo matrimonio, illi patrem, hi matrem sequuntur *l. 19. 24. de stat. hom.* Qui in utero est, verè homo est *l. 38. §. 5. de pœn.* Sed non in rebus humanis *l. 164. de V. S.* Nascituri pro natis habentur, si de eorum commodo agatur, modo res non possit differri, ipsique vivi nascantur, aliàs enim fictione ista opus non est. *l. 7. §. p. de stat. hom. l. ult. de collat. bon. conf. Dn. Wildvogel disp. de jure Embrionum: Pachenst. disp. de ventre.* Partus illi, qui illico ne quidem voce emissa

iii



in manibus obstetricum decedunt, nihilominus pro vivis reputantur, vitalitas enim non ex sola voce, sed aliis signis colligi potest v. g. motu cordis, anhelitu *l. 3. C. de lib. & post. Rennem. disp. 1. th 9. dissent Lauterb. th. 4.* Quæstionis hujus longè maximum usum esse docet *Angel. de Periglis de suitate qu. 4. n. 7.* Prodigiosi iique partus qui magis ad formam bruti quam hominis vergunt, homines non sunt sed monstra *l. 14. ff. de stat. hom.* Imperfectio enim alia in substantia corporis humani, alia in partibus integrantibus, defectus illius monstrum, hujus Ostentum dicitur, illud non est baptizandum, benè hoc *Ludov. Dunte cas. consc. c. 14. sect. 1. q. 26. Baier Comp Theol. p. 3. c. 10. §. 7.* Dignoscitur vero potissimum monstrum ex capite, tanquam præcipuo hominis membro. *Paul. Zachias qu. Med. legal. l. 7. t. 1. qu. 1. n. 34.* Nascituri liberi matri profunt, ut supplicium differatur, donec pariat, quod tenet in quæstionibus, manus amputatione, & relegatione si partui sit vicina. Calamitas enim matris non debet nocere ei, qui in utero est. *l. 5. §. 2. de stat. hom.*



§. XXV. Personæ porrò vel sui, vel alieni juris sunt, illi sub potestate Parentum, hi dominorum sunt. Patria potestas est jus patri competens liberis in familia existentibus imperandi. Originem ejus ex jure Naturæ petendam, non vero ex generatione, quod *Grotius*, non jure victoriæ, quod *Hobbes*, non præsumto liberorum consensu, quod *Pufendorffius* vult, derivandam esse, fusius diximus in *disp. Jur. Gent. de jur. Connub. § 10. & seq.* Speciales tamen patriæ potestatis effectus juri Romanorum natales debent: Non obstante, quod aliis gentibus ii videantur communes, quod per accidens sæpè fieri manifestum est.

§. XXVI. Tres sunt juris civilis fontes, ex quibus patria potestas derivatur, procreatio, legitimatio & Adoptio. Procreatione acquiritur Patr. pot., si filius ex justis nuptiis fuerit natus, sufficiunt tamen putativæ, bona fides enim pro veritate habetur, benè hoc monente *Jcto in l. 57. §. 1. de R. N.*

Tertia ho-  
minum di-  
visio.

Fontes Pa-  
tria pote-  
statis ejusq;  
prima cau-  
sa sc. pro-  
creatio.

Qui



Qui vero in matrimonio nascuntur ex justis nuptiis nati censentur, etsi mater contrarium dixerit, propriam enim turpitudinem alleganti non creditur *l. 29. §. 1. de Probat.* videturque heic mulier maximum in partum habuisse odium, omnemque penitus pudorem proculcasse, nisi tamen liquidò constet, mulierem cum adultero rem habuisse, tum enim præsumptio ista, quæ pro nuptiis militabat, planè cessat, ob explosam mulieris libidinem, accedit odium partus suppositii: Quando vero de actuali hac adulteri cohabitatione non constat, secus hoc erit.

Quo tempore partus pro legitimo habeatur.

§. XXVII. Quantum ad tempus à quo & ad quem pro legitimo habeatur partus, quoad illud constat iudicium Hypococratis *in l. 12. de statu hom.* septimo sc. mense, tametsi in principio nasci partum legitimum. Verùm distinguendum heic erat inter partum perfectum & legitimum, ille est, qui organis necessariis ita instructus est, ut seorsim vivere possit, hic, qui ex justis nuptiis concipitur. Septimo mense quidem partus perfectus dicitur, sed rarò nascitur *Gell. Noct. Attic. l. 3. c. 26.* Hinc si firmus & sanus nascitur, suspectus esse videtur *Terent. in Hevyr. Act. 4. & 5.* At Marito non contradicente, iudex inquirere non debet. Quod verò novo jure legitimi sint qui 1. & 2. mense post nuptias nascuntur *ex l. 11. C. de lib. nat.* non probatur. Inde parentes horum liberorum hodieque poenam ecclesiasticam subire docet *Engelbrecht. ad ff. lib. 1. t. 4. §. 23.* Tempus ad quod est IX. & X. mensis, post mortem mariti, admittitur quoque natus in duobus prioribus diebus mensis XI. quod in Praxi tenet *Rauchbart p. 2. q. 24. de jure hoc falsum l. 3. §. 1. de suis legit. l. 29. de lib. & posth. l. 2. C. de secund. Nupt. 30. dies in jure constituunt mensem. O. C. P. 2. t. 30. §. und sollen.*

2. Causa Pat. Pot.

§. XXVIII. Altera causa patriæ potestatis est Legitimatio, quæ est modus Juris Civilis, quo liberi naturales fiunt legitimi. Fit hoc vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis, illo modo quando pater concubinam, duci non vetitam, uxorem ducit, etiam in ultimo mortis articulo, sed cum latitudine conjuncto, quando sc. spes sanitatis

tis





tis superest, confectis dotalibus instrumentis, quæ necessaria sunt, non ad substantiam legitimationis matrimonii, sed probationem, quæ per testes heic fieri non expediebat *Nov. 74. c. 4.* retrotrahitur hoc matrimonium ad temp<sup>o</sup> conceptionis, intelligiturque, jam tum affectum maritalem fuisse, sed postea declaratum, *l. 11. C. de nat. lib.* Unde concubinâ post mortem filii naturalis ductâ, nepotes tamen legitimantur, aliisque liberis, tametsi ex intermedio & justo matrimonio natis, præferuntur. Nec impedit, quod respectu patris sui nepotes sint legitimi, adeoque non legitimandi, respectu avi enim, cujus naturales erant, legitimantur, neque nepotes heic legitimari, sed retro legitimati videntur, ceteri autem liberi conqueri non possunt, his enim obstat conditio, nisi nuptiæ cum concubina contractæ fuerint. Quæ nuptiæ ad tempus conceptionis retrahuntur *l. 10. in f. de lib. Nat.* In genere autem per matrimonium hoc omne antecedens vitium purgatur.

§. XXIX. Per rescriptum Principis legitimatio fit, cum Princeps, precibus oblatis, rescripto suo jura legitimorum tribuit; modo 1. alteri modo locus non sit 2. Alii liberi legitimi tum non sint, aut si sint, consentiant; Adulterini heic non rectè legitimantur. Fit autem hæc à Principe vel Comite Palatino, cui Princeps hoc concessit: Legitimatio a. Ducibus & Statibus Imperii facta, extra territorium vix admittitur, benè Imperatoris. *Carpzov. p. 2. c. 6. def. 16.*


*Legitim.  
per rescr.  
pp.*

§. XXX. Patri competit Jus educandi omniaque ista media, sine quibus hic finis obtineri nequit, exercendi. Pater & filius pro una persona habentur, quod quoad acquisitionem, non obligationem verissimum: Excipe 1. peculia, quæ sibi acquirit 2. Causas publicas in quibus filius pro patre fam. reputatur *l. 77. de jud. Conf. l. 10. §. 1. de fidejuss.* Cæteros effectus exponit *Lauterb. p. 16. & 17.* Matri hoc jus non competit, nisi 1. illustris sit & 2. hoc privilegium habeat.

*Effectus P.  
potest.*

C

§. XXXI.



3. *Causa  
patriæ po-  
test.*



§. XXXI. Inter modos patriæ potestatis acquirendæ refertur Adoptio, quæ est modus, quo quis eum, quem in potestate non habet, assumit in potestatem, ac si in ea natus esset. Est vel *arrogatio*, qua paterfam. autoritate Principis adoptatur, vel *adoptio in specie*, qua filiusfam. autoritate Magistratus. Hic, nisi ab ascendente adoptatur, non transit in potestatem adoptantis, sed tantum succedit ab intestato. Non castrati, nec minores 18. annis, in quibus est spes prolis procreandæ, nisi singularibus casibus, nec fœminæ, nisi ob orbitatem, adoptant. Aliud in spadonibus. Adoptatus filius emancipatus adoptari nequit, benè naturalis, & qui ab alio jam adoptatus: adoptati autem consentiant. Adoptione tribuitur jus familiæ & agnationis, non nobilitatis, si plebejus adoptetur, aliud moribus. Arrogatione tota arrogati familia acquiritur. Frequentior hodie est, & in locum adoptionis transit unio prolium, quæ est pactum Conjugum de liberis ex alio matrimonio natis in jus communium liberorum recipiendis. Fit autore iudice, citatisque quorum interest. De quo *eleganti tract. Riccius*. Vocatur die *Ein-Kindschafft*/liberi jura successionis consequuntur non familiæ, Conf. *Muscul. de success. anom. Hahn. dissert. de jur. rer. concl. 74.*

*Requisita  
arrogatio-  
nis.*

§. XXXII. Arrogatio fit causa cognita, imprimis verò impuberis, arrogator cavet fidejussoribus coram persona publica de arrogati bonis hæredibus ejus restituendis, si impubes morietur. Si tamen hic ex justa causa emancipetur, bona sua tantum restituuntur, si sine causa emancipetur; aut exheredetur, præter bona sua, quartam ejus quod ab intestato debetur, ex arrogatoris bonis accipit. Liberi, ante adoptionem nati, in potestatem patris adoptivi non transeunt *l. 44. de Adopt.*

*Quomodo  
patriæ po-  
restas sol-  
vatur.*


§. XXXIII. Uti mors omnia, sic patriam quoque potestatem solvit. Tollitur quoque ea per bannum Imperii, per damnationem ad triremes, non verò per relegationem, quæ



quæ est pœna, qua quis salva civitate loco vel locis quibusdam interdicitur, etsi perpetua. Senatoria, Consularis, Doctoralis dignitas patriam potestatem non tollit, nec Monachismus, quamvis aliud in Praxi velint. Captivitas quoque non tollit hanc, captus enim si redit, jure postliminii omnia jura recipit: si moritur, per L. Corneliam in momento captivitatis mortuus censetur. Emancipatione & habitatione à Parentibus separatim instituta, non verò nuptiis, quamdiu mensa paterna & ædibus fruuntur, tollitur patria potestas. In nonnullis quoque locis per separationem bonorum, vulgò die *Absonderunge*/ cum liberis factam tollitur potestas patria, requisita heic abhibenda exponit *Mev. ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 33.*

§. XXXIV. Alieno, uti diximus, juri subjecti sunt servi. Dominica potestas olim injure vitæ ac necis consistebat, sed nimiâ hac in servos atrocitate hodiè sublatâ, magis hæc in pietate, quàm atrocitate consistere debet. Interea tamen ob directionem dominicam à Dominis liberius castigari possunt; *arg. l. un. C. de emend. propinq.* modo absit animus injuriandi, qui regulariter non præsumitur. Deinceps cum servus Domini quasi instrumentum sit, adeoque quicquid acquirit, domino acquirit. Si tamen ultra operas & pensum aliquid præstiterit, id sibi acquiri, æquum est. Turca tametsi inter Christianos baptizatus sit, nihilominus adhuc servus manet, baptismus enim nunquam inter modos manumittendi refertur. *Conf. Anton. Ricciullus de Neophytis cap. 8. n. 1. & 2. conf. Schultetus ad Tim. c. 16. v. 1.* Inter Christianos & Turcas adhuc servitus obtinet *R. I. 1542. §. Und* wiewol nun verb. *Diehische Dienstbahrheit.* apud Romanos servis comparabantur glebæ addicti, qui Domino ad operas rusticas præstandas devincti *l. 15. C. de Agric. & censit.* Ulterius horum naturam exponit *Struv lib. 1. t. 5. th. 22.* Hisce apud Germanos, uti dixi, æquiparantur, die *Eigenleute/ Eigens*

*Jura Dominica potestatis.*



Eigenbehörige/ Sassen qui a Domino alienari possunt. Huc quoque operæ rusticorum, vulgo die Frondienste spectant, quarum aliæ jumentis, aliæ manibus præstantur, aliæ determinatæ aliæ indeterminatæ sunt.



### *Corollaria.*

1. Nani seu pumiliones item ii qui sex vel septem digitos habent monstra non sunt.
2. Monstra occidi nequeunt, quod si tamen quis monstrum occiderit, non statim ut alium homicidam, sed extraordinarie tantum puniendum eum esse æquius videtur.
3. Collateralium & ascendentium successio est juris positivi.
4. Rex Romanorum neque mortuo imperatore neque eo absente, nisi hic vices suas ei specialiter commiserit, est vicarius imperii.
5. Legatus Jure Gentium in loco ubi est, & conveniri & puniri potest ex omnibus causis. dissent. Grot. l. 2. c. 18.
6. Filia ex fratre præfertur filio ex sorore in regnis.
7. Usura omni jure licita est.
8. Virgines aut fœminas captas libidini cujusque exponere velle, a natura humana abhorret.

